METRA VOTIVA,

FAUSTISSIMIS NUPTIIS,

VIRI

PLURIMUM REVERENDI & EXCELLENTISS.

D. M. JOHANNIS NEUNACHBAR/

Reverendi Ministerii Augustanæ Confess. in Regiâ Civitate Thorunensi Senioris, ad D. Mariæ Pastoris, Professoris SS. Theolog. in Gymn. &c.

Cum

LECTISSIMA PUDICISSIMAQVE

VIRGINE

EUPHROSYNE,

VIRI Qvondam *SPECTABILIS,*

D. DAVIDIS Kohl/

Judicii Palæopolitani apud Dantiscanos Assess.

FILIA,

d. XVII. Maji M. DC. LXXVIII.

celebrandis,

DICATA.

THORUNII

Imprimebat Johannes Cœpselius, *Gymn. Typograph.*

CErnimus, ut ſævâ pontus ſurgente procellâ
Undiq; congeſtos grandi certamine fluct⁹
Committat, latè reboetq; fretũq; ſolumq;
Intonet & totus concusſis nubibus æther.
Non tamen hæ durant iræ, ſed amænior æſtas
Denſos inſeqvitur nimbos & nubila Titan.
Sic qvoqve jactato repetiti turbine luctûs, (bi
VIR REVERENDE, Tibi redeunt jã priſtina Phœ-
Lumina. Jam mœſtos iterum dediſcere leſſus
Planctus & gemitus, exuto Syrmate pullo,
Teq; Tuosq; decet. KOHLIA nam ſarta priore
Damna ope; qvod vovi: totam Tibi diva poteſtas
Partem reſtituit, qvam carnis dempſerat olim
Et cordis. Tetrico qvare de pulvere corpus
Exere, SPONSE, Tuum, lætansqve amplectere
SPONSAM,
Qvam multo cernis Nymphas ſuperare decore.
Svaviter hæc tecum prolixum tranſigat ævum!

Voto meliore qvàm venâ poſ.

M. ERNESTUS König / G. Rect.

CEdite vos Divi, qveîs vincla jugalia curæ!
Cedite, qveîs curæ myrtea ſerta, Deæ!
Non hîc conciliat teneros Hymenæus amores;
Non ſua pennatus tela Cupido vibrat;

Nil

Nil hîc juris habes qvamvis formosa Dione;
Hic meritò sordet vel tua forma, Venus;
Non Amathus, non celsa Paphos, non clara Cythera,
Non excelsa suis hîc placet Ida jugis.
Sponsus enim Noster meliori fervet ab æstu,
Sanctior atq; ejus viscera flamma coqvit.
Desuper hîc cœlestis Amor sua spicula torqvet,
Atq; bis exstinctas concutit ipse faces,
Debita qvo renovent vidui solatia lecti,
Et recreent tristes tertia Vota Lares.
Gaude Sponse tuis rebus. Lectissima Virgo
Nam tibi non fragili fœdere juncta datur.
Hæc erit Andromache, Tanaqvil, dilecta Lacæna,
Fidaq; post mortem Laodamia Viro.

Hæc Admodum Reverendo atq; Excellentissimo
Domino Sponso scripsit L. M.
M. CHRISTOPH. Hartknoch/
In Gymn. Thor. Prof. Pub.

DIffugere nives vidui lugubria lecti
Frigora mitescunt, Cyprigenia calet.
Mutat terra vices, post horrida funera, lætum
Ver nitet, & recreat florida Nympha VIRUM.
Gratia nuda choros ducit, Dryadesq; puellæ
Cum Zephyro Sponsis mellea dona ferunt.
Blandiloqvis volucres concentib⁹ aëra mulcent,
Rustica muneribus Flora coronat agros.

Ad

Ad summam, qvicqvid vernali pascitur aurâ.
Fundit Acidalios ore sonante modos.
Ergo facis bene, SPONSE EXCELLENTISSIME, tædas
Qvod renoves, mundo se renovante, Tuas.
Annon felix es, Charites cui fœdera pangunt,
EUPHROSYNE reparat cui Venerilla torum?
Gratulor hanc dulcem toto Tibi pectore sortem,
Hoc Ver, hunc Phœbum gratulor atq; CHARIN.
Omne velut Trinum perfectum, sic qvoq; tæda
Tertia perfecto flagret amore diu!

Sic ex animo vovet

WENCESLAUS JOHANNIDES,
Gymnasii Thorunens. P. P.

SYndone pullatâ faciem bis, SPONSE, nigrâsti:
Bina tuo Thalamo mors qvia damna dedit.
NEUNACHBARE, Sacri Caput Ordinis, ô bene vertat,
Ad qvæ jam transis, Tertia Vota, DEUS!
Trinum perfectum est: *in Te* Trias *ipsa potenter*
Perficiat, ternâ qvod vice cœpit opus.

Adm. Rever. D. Compatri
ex animo gratulatur
MICHAEL Bapzihn / C. Mar.